





1730, 22

FACULTATIS JURIDICÆ  
 P. T.  
 DECANVS,  
 ERNESTVS TENZELL,  
 JCTVS,  
 EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
 ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-  
 GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-  
 SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS  
 CONSVL PRIMARIVS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
 Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





Dvocatorum, qui ut præsentiam commodent, & alicui quovis modo in causa instar protectorum & defensorum assistant, advocantur, & ideo causarum Patroni in l. 4. C. de postul. l. 1. 5. § 14. C. de Advoc. divers. judicior. alibi Patroni litium l. 7. §. 2. C. de advoc. div. judic. it. Causidici l. 2. § 17. C. de Advoc. divers. judiciorum, Oratores, l. 33. §. 1. in f. C. de Episc. & Cler. dicuntur: tantas in jure nostro est favor, tantæ recurrunt laudes, ut Justinianus Imperator in L. Advocat. 14. C. de Advoc. divers. Judicior. eos militibus comparare, non dubitaverit, verbis gratiosissimis sequentibus: *Advocati, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus in rebus sepe publicis, ac privatis, lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam*

quam si praeliis, atque vulneribus, Patriam, Parentes-  
que salvarent. Nec enim solos nostro Imperio mili-  
tare credimus illos qui gladiis, clypeis, & thoracibus  
nituntur, sed etiam Advocatos; militanti namque cau-  
sarum Patroni, qui gloriose vocis confisi munimine  
laborantium spem, vitam, ac posteros defendunt.  
Commendat & eosdem eloquentiæ Romanæ Prin-  
ceps Cicero lib. 1 de invent. quando ait: Qui sese  
armat eloquentiâ, ut non oppugnare commoda Pa-  
triæ sed pro his pugnare possit, is mihi vir, & suis, &  
publicis rationibus utilissimus atque amicissimus ci-  
vis fore videtur. Et in oratione pro Murena: vigi-  
las tu, inquit, de nocte, ut tui consultoribus respon-  
deas; ille quo tendat, cum exercitu mature perveniat;  
te gallorum, illum buccinatorum cantus ruscitat; tu  
actionem instituis, ille aciem instruit: tu caves, ne tui  
consultores, ille, ne urbes aut castra capiantur; ille te-  
net, & scit, ut hostium copia, tu, ut aquæ pluvie arce-  
antur; ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in  
regendis. Hinc duplicem habemus militiam, saga-  
tam unam, togatam alteram. Non quidem quod  
Nobilitatem generis nanciscantur Advocati, cu-  
jus opinionis Carpz. lib. 3. Resp. 1. n. 11. fuisse vide-  
tur; sed quod honestum, & nobile sit ipsorum mu-  
nus, & officium; sicuti Romani omnes, qui factis no-  
men suum celebre reddiderunt, nobiles appellabant,

Neque tamen inanis illa inter militem & Advocatum est comparatio, ut potius in multis juribus & privilegiis conveniant. Sic milites dicuntur Nobiles in *l. f. C. de decurion.* quo titulo Advocati quoque gaudent *l. 7. C. de postul.* & à *Gloss. in art 60. n. 9. Recess. Imperial.* vocantur *der Rechte Rittere.* vid. *Stryk. de privil. Advocat. c. 2. §. 2.* imo & clarissimis annumerantur *l. 7. C. de postul. l. 1. inf. C. de Advoc. div. jud.* Sic filiusfamilias, invito quoque Patre, miles, vel Advocatus esse potest. *Baldus in l. f. §. necessitatem, vers. considerandum, C. de bon. quæ lib.* Et filiusfam. miles, peculium castrense sibi acquirere potest, *l. 11. §. 12. ff. de castr. pec. l. 1. C. eod.* in quo plenum acquirit dominium, *l. 6. pr. C. de bon. quæ lib.* de quo liberè, tam inter vivos quam mortis causa disponere potest, *l. 2. §. 4. §. 2. l. 5. 6. ff. de cast. pec.* Similiter filiusfam. Advoc. peculium qu. castrense acquirere potest, *§. f. J. de milit. testam. l. f. C. de inoff. testam.* quod paria cum castrensi habet jura, & privilegia *v. l. 4. C. de Advoc. divers. judicior. l. 7. §. f. ff. de donat. l. f. §. 1. C. de inoff. test.* Beneficium præterea competentia datum militibus. *l. 6. ff. de Judic.* ad Advocatos quoque extenditur *arg. l. 6. §. 18. ff. de re jud. v. Carpz. p. 1. c. 32. def. 18.* Num quod in *l. 9. ff. de feriis §. dilat.* militibus indultum, quod miles diebus etiam feriatis ea peragere queat, quæ ad disci-

disciplinam militarem pertinent, etiam ad advocatos extendendum? Sed cum in feriis Divinis, cultui sacro destinatis, omnia quiescere debeant, quæ ut die festo fiant, christiana charitas, & publica utilitas non exigit *l. f. ff. de feriis, junct. l. 10. C. eod. C. 1. inf. c. f. X. eod. Amef. de Consc. Lib. 4. C. ult.* rectius casum necessitatis si excipias, ab hisce suis laboribus diebus sacris abstinent. Neque etiam in omnibus Advocati jura militum sibi arrogare possunt. Etsi enim militibus jura ignorare indultum, ut magis arma, quam jura scire solliciti sint; *l. f. pr. C. de Jur. delib.* quod tamen vix ad ea quæ juris naturalis sunt extendendum, *l. 9. §. 1. ff. de jur. Et facti ignor.* De advocatis verò turpe esse, jus, in quo versantur, ignorare statuitur in *l. 2. §. 43 ff. de O. J.* Interim si miles sufficienti Juris etiam Civilis & statutarii scientia instructus sit, an ille utriusque militiae officio simul fungi possit, quæritur? Et licet regulariter negandum videatur per *l. 5. Et ibi Brunnem. C. qui militare possunt, vel non possunt lib. XII.* tamen positis terminis habilibus, quare idem Principis indultu fieri non possit, non video. Imo experientia, præsertim in iis, quibus judicia militaria sunt concredita qui Auditores audiunt, contrarium docet. Neque etiam ad Advocatos extensum illud militibus in periculo expeditionum & hostis invasionum constitutis, sine

omni solennitate testandi, specialiter indultum privilegium, *l. 40. pr. π. de testam. milit. l. 15. C. eod.* Aliud privilegium specialiter militibus cum minoribus & pupillis indultum, occurrit in *l. 25. §. 1. π. de probat.* Nec tamen desunt, quibus Advocatorum laudes admodum suspectæ videantur; rati, non sine ratione factum esse, quod in Digestis Titulus de his qui not. infam. medio loco inter titulum de postulando, & Tit. de procuratoribus sit positus; Cujus argumenti infirmitas & temeritas vel exinde quod Digesta methodo plane fortuita, secundum ordinem edicti perpetui, compilata sint, satis patescit. Vix, meliori judicio utuntur, qui Advocatos plane e Republica eliminandos putarunt. Sic *Columella* in præfat. *Sine judiciis*, ait, *olim satis felices, futuræque sunt urbes.* Quasi verò usus cum abusu sit confundendus? Sed plura de Advocatis differet

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. CHRISTIANVS FRIDERICVS  
SCHMIDIVS, *Lipsiensis,*

Qui natus est Lipsiæ Anno M DC XCVIII. d. 5. Novembr. Patre B. CHRISTIANO SCHMIDIO, Chirurgo Lipsiensi, & matre MARGARETHA ROSINA, ex familia *Hollwitziana*, adhuc in vivis existente. Ab his primo privatis traditus est præceptoribus,



bus, sub quorum moderamine, & informatione,  
principia Christianissimi, & bonarum Artium hausit.  
Anno ætatis decimo tertio inspectioni fidelissimæ  
Clariss. Dn. M. CHRISTOPHORI HAVPTII, Scho-  
læ Grimmenfis Oppidanæ Rectoris, per quadrienni-  
um, & quod excurrit, commendatus fuit. Anno  
MDCC XVII. redux in Urbem Patriam, Collegia  
Philosophica Virorum Celeberrim. Dn. M. POLY-  
CARPI MÜLLERI, & Dn. D. AVGVSTI FRIDE-  
RICI MÜLLERI frequentavit. In Juridicis ex-  
cellentiss. Jctorum Lipsiensium imprimis B. LV-  
DERI MENKENII, RECHENBERGII, RIVINI, BAVE-  
RI, STIEGLIZII & KÆSTNERI, auditor sedulus  
fuit, & illis ducibus, intra lustrum, & quod excur-  
rit, universi Juris cursum absolvit. Deinde Equitis  
cujusdam Misnici de Schrenkendorff, & post ejus  
discessum, Generosi Equitis Thuringici, JOH. FRI-  
DERICI DE POSERNE, per quinque annos, Gu-  
bernatoris officio functus est. Nunc honores in  
utroque jure Doctorales appetens, per antiquam no-  
stram Hieranam adiit, ibique Facultati nostræ Juri-  
dicæ intencionem suam per literas exposuit, utque  
ad examen rigorosum, & reliqua specimina inaugu-  
ralia admitteretur, decenter petiit. Annuimus peti-  
to, & textus ex utroque jure in termino examinis, ex-  
plicandos, more majorum, transmisimus. Et cum  
tam

tam in illis explicandis, quam in ipso examine, talem se præstiterit, qui non potuerit non dignissimus summis Juris honoribus capeffendis judicari, Januam ad ulteriora specimina Inauguralia ipsi aperuimus. Proximo igitur die 24. h. Jul. d. A. primo Lectionem Cursoriam ad *L. Advocati 14. C. de Advoc. div. Judic.* & eadem finita, Disputationem Inauguralem,

DE JURE  
FILIABVS IN FEVDO  
COMPETENTE

habebit. Quibus actibus solennibus ut Reverendissimus, & Magnus Dn. Rector & reliqui Universitatis Nostræ Proceres atque Fautores frequentes interesse dignentur, officiosissime ac decenter invitantur. Publ. sub Sigillo Facultatis Juridicæ Domin. VII. post Trin. die 23. h. Jul. Ao. M DCC XXX.

L.S.

ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle


003 749 266

3



TA → OL





Farbkarte #13

B.I.G.

23

1730, 22

FACULTATIS JURIDICÆ  
P. T.  
DECANVS,  
ERNESTVS TENZELL,  
JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-  
GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-  
SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS  
CONSVL PRIMARIVS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.